





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.



ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ

PRÆSTANTISSI-  
MO VIRO D. M. IOHANNI  
SLEIFERO ET I. V. STUDIO SO SERVE-  
stano, Poëtæ Laureato, cum Tubinga in  
patriam discederet, amicitiaæ ergò

Scriptum à

M. NICODEMO FRISCH-  
lino poëtices & historiarum in Academia  
Tubingensi Professore.



VVITEBERGÆ

Excudebant Clemens Schleich &  
Antonius Schöne.

ANNO M. D. LXXII.

Clarissimo viro Dño Adamo Sibero Re-  
ri Scholæ Grimenſis ac burtæ v.







ORNATISSIMO IUVENE  
NI D. M. IOHANNI SLEIFFERO  
POETÆ LAVREATO IN PA-  
TRIAM REDEVNTI S.

Ireditare domum, sed & huc rediture Tubingam  
Sleifere, ingenij dotibus aucte bonis.  
I sed inoffenso pede: nec tua corpora lædant  
Robore Centauri stipitibusq; truces.  
I faustis auibus, Christo comitatus amico,  
Nec te tempestas, nec fera lædat hyems.  
Semper & angelicus fidis te protegat alis  
Cætus, & hospitium faxit habere pium.  
Vt reducem videant hilari te mente penates,  
Læticiaq; frui conueniente queant.  
I bone, sed nostri non immemor inter eundum,  
Compella socios more decente viros.  
Iamq; vbi te ad fontem ducet via prima salutis,  
Dic Ostermano verba ministra meo.  
Aut illum inuenies digitis percurrere chordas,  
Blandaq; suauisonæ fila mouere lyæ:  
Aut aliquod docta meditari voce Poëma,  
Inq; suos aptè cogere verba pedes.  
Quicquid aget, saluere iube, belleq; valere,  
Frischlini & memorem iugiter esse sui.

A ij

Illum



Illum etiam, sero remouet qui vespere leges,  
Ora leuans toto reddita fessa die.  
Insignem multa Stephanum virtute iubebis,  
Saluere & validi corporis esse virum.  
Vt patria & natis æternum prosit & vrbi,  
Dicere ius æqua conditione queat.

Tum quando Oeringam gratus perueneris hospes,  
Inq̄ tibi chara conspiciere domo.  
Quam tenet Aonidum non vltima fama sororum,  
Carolus: huic tales protinus ede sonos.  
Carole Frischlinus te chare salutat amicus,  
Viuet & vt priscus saucius ille, rogat.  
Priscus ob eloquij celebratus in orbe nitorem:  
Quem feriunt pueri, quem feriuntq̄ senes.  
Hæc vbi ridenti sic illi dixeris ore,  
Testium iubeas edat vt author opus.  
Inde Rudingeri venies ad tecta Poëtæ:  
Hic vbi Vuerthemij mœnia celsa nitent.  
Suauibus offendes operam dare versibus ipsum,  
Pieriaq̄ suos fallere in arte dies.  
Nam valet eximia pangendo in carmine vena  
Et quodcunq̄ facit, dulce Poëma facit.  
Sine pedes Elegos deducat, amabile carmen:  
Non cedit numeris culte Tibulle tuis.  
Sine tuba vates Heroum concinet arma,  
Æmula grandiloqui verba Maronis erunt.

Hunc



Hunc, utcumq; potes mihi conciliare, Poëtam  
Concilia, & tanto multa precare viro.

Proximus Herbipolin trames te ducet ad altam,  
Hic vbi Phœbeo Posthius ore canit.

Posthius Aonijs tinctus Sulmonis in vndis,  
Posthius ingenio, Posthius arte potens.

Illum vbi seu medicas tractare Machaonis herbas,  
Et dare purpureæ lilia grata rosæ:

Seu dignum inuenies Musis & Apolline carmen  
Ludere, & alternis neçtere verba modis,

Protinus acceptam nostro dic ore salutem,  
Meq; eius memorem sic fore, ut ille mei.

Non procul Herbipolis distantem mœnibus urbem  
Aduenies, saltus quâ rigat Hercinius

Virnius hîc sacrum cœlesti pascit ouile  
Dogmate, multiplici Virnius arte ualens.

Cuius in exiguo virtus est corpore magna:  
Sive fidem spectes, seu probitatis opes.

Seu quoq; perceptas non infeliciter artes,  
Cultaq; linguarum pluribus ora sonis.

Hunc etiam saluere iube Sleifere poëtam,  
Pastoremq; graui relligione sacrum.

Scilicet à sanctis non sunt aliena libellis  
Carmina, sed studio conueniente decent.



EST & Iena suis non infœcunda Poëtis,  
Iena boni felix fertilitate soli.  
Namq; Osius sacras ibi tradit Apollinis artes,  
Inter odoratum, non sine laude, nemus.  
Cui comes assistit facundo carmine præstans,  
Cæsareo Mylius comptus honore caput.  
Ambo animis, ambo insignes fœlicibus ausis,  
Artibus æquales: ore sed ille prior.  
Hos ubi conuenies almæ sub mœnibus vrbis,  
Alloquere hoc vatum pectora fida modo:  
Viuite prælustres æterna pace Poëtæ,  
Arte insignis Osi, corde beate Myli.  
Viuite ceruinos multa cum laude per annos,  
Carminibusq; pios commemorate duces.  
Et doctos celebrate viros, queis carmina curæ,  
Nam reliqua in nullo est fex numeranda loco.

Inde pedes referent altæ te ad mœnia Grimæ,  
Mœnia carminibus clara Sibere tuis.  
Qui sacra Davidis Latijs modulamina neruis  
Aptasti, Hebraicis antea facta modis.  
Multaq; diuini pridem monumenta vigoris  
Liquisti, à sacris non aliena libris.  
Qualia Fabricius sub luminis edidit auras,  
Æmulus ingenij Naso polite tui.  
Qui quoniam superos nuper migravit ad arces  
Exequias tumulo nos damus hasce pio.

Membræ



Membra cubant isto sancti diuina sepulchro  
Fabritij, ætatis qui decus huius erat.  
Sanctaq; carminibus celebravit dogmata puris,  
Et quotcunq; dedit carmina, sancta dedit.  
Nil nisi quæ sacris sacra prouenere libellis,  
Vir pietatis amans, censuit esse sacrum.  
Ergò quòd angelicæ cecinit Pæana cateruæ:  
Angelicos inter nunc ouat ille choros.  
Salue sancte poëta, nouum decus addite diuis,  
Cumq; tuo Christo gaudia vera cape.  
At tu qui super es, nec adhuc cæleste subisti  
Limen, Adame mihi uiue Sibere diu.  
Viue diu, quantumq; potes, feliciter artes  
Promoue, & ingenijs perge fauere bonis.  
Sic tibi Nestoreos detur superesse per annos  
Et valeas sospes tuq; generq; tuus.

Hinc ubi delatus prælustrem accesseris urbem,  
Quà nitet egregijs Lipsia plena uiris,  
Fortè tibi dabitur Camerarij limen adire:  
Alloquioq; frui te sinet ille suo.  
Tum precor has illi referas Sleifere tabellas,  
Plurimaq; officij nuncia uerba mei.  
Atq; hæc Callimachi traducta Poëmata nostris  
Versibus, & scholijs trade polita nouis.

A iiij      Vt male



Vt male tornatos exornet pumice versus,  
Atq; operi extremas addat vt ipse manus.  
Quæsierit forsan, quisnam temerarius ille  
Qui senis hac ausit mole grauare caput.  
Inquiat: Alcides iuuenilibus integer annis  
Augiæ potuit deposuisse fimos.  
At mihi nunc fracto languent in corpore vires,  
Et premit infirmas cana senecta comas.  
Ne Sleifere senis verbis moueare: sed insta,  
Exoraq; pium sæpè rogando caput.  
Scilicet annosum non vnus deicit ictus  
Quercum, sed plagis pluribus icta cadit.  
Mox vbi compos eris nostro sub nomine voti,  
Dixeris & tanto verba suprema viro:  
Limina Strasburgi præclara accede poëtæ,  
Alloquioq; stude conciliare tuo.  
Non tibi Tydides, non compellabitur Atreus,  
Quiq; hominum victo terruit ora boue.  
Sed placidi vates animi, vultusq; sereni:  
Cuius doctæ hederæ circumière caput.  
Huic quocunq; potes studio Sleifere salutem  
Imperti, & validi pectoris esse iube:  
Vt diuina suis exornet scripta libellis,  
Et peragat multos laude sequente dies.  
Proxima Leucoream via te deducet ad urbem,  
Saxonicos gelidus quà rigat Albis agros.

Docta



Docta Melanthonij qua florent tecta Lycei,  
Sacra Luthere tibi, sacra Philippe tibi.  
Hic ubi Mauritius diuina Poëmata pangit,  
Mauritius clarij fama decusq; chori.  
Cuius ab ingenio largissima carmina manant,  
Qualiter expressis mella liquata fauis.  
Cuius inest ori tam suavis gratia linguae,  
Quam fuit in Pylij Nestoris ore senis.  
Est comes huic, animi studijs coniunctus iisdem  
Crellius, ingenij dexteritate valens.  
Quo duce grandiloqui rursus monumenta Maronis  
Clara, queunt vires exeruisse suas.  
Quo duce Leucorei florent pia tecta Lycei,  
Et suus est iterum versibus auetus honor.  
Addimus Hermannum his prestantem laude Borus.  
Pangendi egregium carminis arte virum. (sum,  
Qui prestat virtute sua, ne prisca vetustas,  
Laudibus ingenij secula nostra premat.  
Cui calamus tantum peperit virtutis honorem,  
Quantum Stigelio vena benigna meo.  
Egregij saluete viri, saluete sodales,  
(Me vestri socium si licet esse chori)  
Saluete & vestros inter numeretis amicos,  
FRISCHLinum, haud æqua conditione parem.

Interea



Interea patrios Sleifero adēunte penates,  
Læto vbi Seruesti mœnia rure tument:  
Prædo ferox inhibe sæuo tua brachia rictu,  
Ne violes Musas prædo cruenta sacras.  
Prædo manus inhibe, si non vis parcere Musis,  
Parce tamen vitæ præripuisse dies.  
Non hic inuenies censu cum diuite nummos,  
Quæuè tuam possint exaturare sitim.  
Æris inops, auroq; carens sunt turba Poëtæ,  
Vtq; Bias, secum non adimenda ferunt.  
At tu viue valeq; diu Sleifere, laresq;  
Vise redux, nostros inde reuise focos.

Nicodemus Frischlinus Poëtica & histo-  
riarum in Academia Tubingensi  
Professor 13. Cal. Martij  
Anno 72.



IDEM IN LEONEM

LAVRIGERVM, INSI  
GNIA IOANN: SLEIFE  
RI P. L.

VT Leo magnanimis animalia cætera vincit  
Viribus, & solido robore pectus habet:  
Sic reliquos multa superat virtute poëtas  
Sleiferus, clarij portio summa chori.  
Robustamq; omni conseruat tempore mentem,  
Seu fortuna cadat prospera, siue mala.  
Vtq; virentis non vnquam germina lauri  
Pallida flaccescunt, cum fera sæuit hyems:  
Sic vatam nullo cessabit gloria seculo  
Viuerè, sed semper fama superstes erit.





IDEM IN J. E. O. N. E. M.

L. A. V. R. I. C. E. R. V. T. I. N. S. I.

G. A. I. A. I. O. A. N. N. I. S. I. E. T. I. C.

M. P. L.

V. T. L. e. o. m. g. n. i. t. u. d. i. n. i. s. z. e. m. i. n. i. s. c. e. t. e. r. i. s. v. i. n. c. i. t.  
 V. i. d. u. s. & f. o. l. i. u. s. r. o. b. o. r. e. p. e. c. t. u. s. h. a. b. e. t.  
 S. i. c. r. e. t. i. f. i. c. o. s. m. u. l. t. a. s. u. p. e. r. i. a. v. i. r. t. u. e. p. o. e. t. a. s.  
 S. i. c. i. t. a. s. c. h. a. p. t. i. s. i. s. s. u. m. m. a. e. b. o. r. i.  
 R. o. b. u. s. t. a. n. s. o. m. n. i. s. c. o. n. s. t. a. n. t. t. e. m. p. o. r. e. m. e. n. t. u. m.  
 S. e. i. f. o. r. t. i. t. u. s. e. r. a. t. p. r. o. p. t. e. r. i. a. i. n. c. e. m. a. l. a.  
 V. i. p. v. i. c. t. e. n. s. n. o. n. v. i. d. u. a. m. g. e. m. i. n. a. l. a. n. i.  
 F. a. l. l. a. s. i. n. c. o. n. s. t. a. n. t. e. m. f. e. r. a. f. e. u. i. t. h. y. c. i. n. a. s.  
 S. i. c. v. a. n. u. m. n. u. l. l. o. c. e. l. l. a. b. i. t. g. l. o. r. i. a. s. e. d. o.  
 V. i. c. t. e. r. i. e. s. t. e. m. p. t. e. r. f. a. m. a. s. u. p. e. r. i. s. e. r. i. t.





Nov 1996

8

ULB Halle 3  
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M











ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ  
PRÆSTANTISSI-  
MO VIRO D. M. IOHANNI  
SLEIFERO ET I.V. STUDIOSO SERVE-  
stano, Poëtæ Laureato, cum Tubinga in  
patriam discederet, amicitiaë ergò  
Scriptum à  
M. NICODEMO FRISCH-  
lino poëtices & historiarum in Academia  
Tubingensi Professore.

WVITEBERGÆ  
Excudebant Clemens Schleich &  
Antonius Schöne.  
ANNO M. D. LXXII.

Clarissimo viro Dño Adamo Sibero Re-  
ri Scholæ Grimmenſis ac burtæ v. h.

